



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De eadem re. lxi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



*Quòd in primis prædicandum sit, qualiter credere debeant. Cap. LIX.*

*Ex cõcil. Rotoma. cap. 1.* **I**N primis prædicandum est omnibus generaliter, credant patrem, & filium, & spiritum sanctum vnum Deum esse omnipotentem, qui omnia fecit, & vnam esse deitatem, & substãtiam, & maiestatem in tribus personis patris, & filij, & spiritus sancti.

*De eadem re. Cap. LX.*

*Ex eodẽ, cap. 2.* **I**TEM prædicandum est, quomodo filius Dei incarnatus est de spiritu sancto, & Maria virgine, pro salute generis humani passus, sepultus, tertia die resurrexit, & cœlum ascendit, in fine mundi veniẽs iudicare omnes homines secundum opera propria: quomodo impii cum diabolo in ignem æternum mittentur, iusti cum Christo in vita æterna erunt.

*De eadem re. Cap. LXI.*

*Ex eodẽ, cap. 3.* **I**TEM prædicandum est, quòd omnes homines in propria carne resurgent.

*Vt omnis presbyter parochianis suis symbolum & orationem dominicam insinuet. Cap. LXII.*

*Ex cõcil. Remensi, cap. 8.* **V**T omnis presbyter omnibus parochianis suis Symbolum & Orationem dominicam, aut ipse insinuet, aut aliis insinuandum iniungat, & quum ad confessionem tempore Quadragesimali veniunt, hæc ab vnoquoque memoriter sibi decantari faciat, nec ante sanctã communionem alicui tradat, nisi hæc ex corde pronuncians nouerit. Siquidem sine horum scientia nullus saluus esse poterit. In vno enim fides & credulitas Christiana continetur: in alio quid orare & petere à Deo debeamus, exprimitur. Quòd sine fide nemo possit esse saluus, dominus ostendit, quum dicit: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Nullus autem credere potest quod nescit, nec audire. Ait enim Paulus: Quomodo credent ei, quẽ non audierunt? Nec sola sufficit fides in corde, nisi etiam verbis enuncietur, vt idem Apostolus testis est: Corde enim, inquit, creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Nullus autẽ de stoliditate sensus, vel tenuitate ingenij causetur: quia hæc tam parua sunt, vt nemo tam he-